



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomæ

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

Cap. 3. Quomodo ratio personæ communis sit tribus diuinis Personis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

Ad argum-
tum ratio
positum.
fitam respondemus, non esse eandem rationem in
Deo, quæ est in creaturis. Nam in his cum persona
multiplicatur natura, & ideo quot sunt personæ hu-
manæ, tot sunt homines. In Deo autem non multi-
plicatur natura, licet multiplicetur persona, & ideo
quamuis sint plures personæ, non sunt plures Dij. Ac
propterea etiam non est simile de unitate Dei, & de
unitate personæ, nec rationes naturales, quæ probat
unitatem Dei, procedunt contra pluralitatem per-
sonarum. Quia distinctio naturæ non fiat cum infi-
nitate, æqualitate, & summo principatu omnium, &
singulorum habentium Dei veri naturam. Vbi autē
natura est vna, & vnus principatus, summa æqualitas
& infinitas vniuscuiusque personæ. Quo fit, vt nō mul-
tiplicentur personæ in tali natura propter imperfe-
ctionem, vel indigentiam, sed propter mirabilem for-
cunditatem illius infinitæ naturæ. Et ob eandem ra-
tionem multiplicari possunt illæ personæ cum sum-
ma simplicitate, quia omnino sunt idem cum natura
in qua vniuntur. Quæ omnia figillatim in sequentibus
sunt disputanda, & explicanda.

CAPVT III.

Quomodo ratio personæ communis sit tribus
diuinis personis.

1. Quamuis dubium hoc metaphysicum potius, quā
Theologicum videatur, quia tamen à Theologis
non præmittitur, varièque de illo sentiunt, pro-
prieque nascitur ex hoc mysterio, ideo breuiter expe-
diendum est. Sunt autem multa simul explicanda. V-
num, an nomen personæ dicat aliquam positiuam ra-
tionem communem tribus personis diuinis. Alterū,
si ratio illa positua est, an sit realis, vel rationis. Ter-
tium: si realis est, an dicat vnum conceptum obie-
ctiuum præcisum à tribus personis, communem quē
illis. Vltimum, an vox, *Persona*, vniuoca sit respectu
tribus personarum vel analoga. Atque hæc omnia simi-
liter tractari possunt de nomine *relationis*, vt commu-
ne est tribus relationibus diuinis, & ideo simul ex-
pedientur.

2. Circa hæc igitur Scotus in 1. distinctione. 23. quæ-
stion. 1. §. Item arguo, sentit, non posse nomen perlong
significare rationem aliquam positiuam commu-
nem tribus personis, sed solum negatiuam, nam licet
interdum sub distinctione loquatur, scilicet, vel di-
cere conceptum communem negatiuum, vel saltem
non posse dicere conceptum vniuersi rationis positiuū,
& quidditatuū, semper in priorem partem incli-
nat. Fundamentum eius est, quia putat personam
sola negatione incommunicabilitatis formaliter cō-
stitui. Item quia putat ab vltimis terminis, & con-
stitutiuis non posse conceptum communem abstra-
hi, quia aliter procederetur in infinitum. De hoc po-
steriori fundamento infra dicemus, de priori nunc
agendum est. Quod fundamentum sequitur ibi Gab-
riel quaestione vnica, dubio 1. & latius 3. distinc-
tione prima, quaestione prima, articulo primo, licet de
præsentiquaestione nihil dicat: Aureolus vero in 1.
distinctione 23. & latius distinctione 25. latissime tra-
ctans hanc quaestione, licet Scotum impugnet, tan-
dem in illius opinionem coincidit. Contendit enim
personam, directe significare ens positiuum, vt affectū,
& vltimum nonnullis negationibus. Vnde concludit
personam ex parte positiuam dicere aliquid commune
tribus personis, illud vero non esse aliquid determi-
natum, secundum aliquam determinationem, id est,
quasi genericam, vel specificam rationem entis, sed
esse tantum transcendentalem rationem entis. Ex
parte vero negationum dicere certas, ac definitas ne-
gationes, scilicet, incommunicabilitatis, seu incommuni-
cabilitatis. Atque ita nomen *persona* secundum id proprium,
& peculiare, quod habet commune tribus personis,
Suarez: De Deo trinuno.

dicere tantum negationes: quoad positiuum autem,
dicere tantum rationem in determinatam, seu trans-
cendentalem. Fundamenta huius Auctoris, quan-
tum ad præsens punctum spectant, eadem fere, quæ
Scoti, sunt.

Nos vero imprimis supponimus ex Metaphysica
disputation. 34. section. 2. suppositum in re ipsa non
constitui formaliter negationibus, sed positua enti-
tate, seu modo reali, quem suppositum addit supra
naturam, vel ex natura rei distinctum, vt in creatur-
is, vel ratione, vt in Deo. Vnde cum persona nihil a-
liud sit, quam suppositum intellectualis naturæ, ne-
cesse est, personam addere naturæ intellectuali, non
tantum negationes, sed etiam positiuum terminum,
in quo illæ negationes fundentur. Præterea in diui-
nis personis est peculiaris ratio, quia necesse est, vt in
aliquo positiuo distinguantur, alioquin non essent
res distinctæ. Nam si vnaquæque non habet aliquid
propriū positiuum, ergo solam essentiam habent,
quæ sit res positua: ergo in re ipsa non habent, nisi v-
nam solam entitatem, quia solum id, quod positiuū
est, entitas realis est. Necesse est ergo, vt vnaquæque
habeat aliquid positiuum propriū: ergo illud est,
quod personam constituit, quodque est fundamen-
tum incommunicabilitatis, & similitum negationū,
quia solum illud esse potest incommunicabile in v-
naquaque persona, nam essentia communicabilis est,
& in vnaquaque persona solum est essentia, & pro-
prietas. Omitto enim nunc inspirationem actiuam,
quæ communicabilis est.

Denique infra ostendemus, proprietatem consti-
tuentem diuinam personam esse relationem, relatio-
nem autem positiuam quid est, igitur præter negationes
communes tribus personis, habent diuinæ personæ
conuenientiam in positiuis proprietatibus, illamque
significat nomen *persona*. Nam sicut particularis per-
sona constituitur sua particulari proprietate, vt talis
est, ita persona in communi significat aliquid positiu-
um, nimirum, constitutum ex natura, & proprie-
tate personali positua. Vnde nec fatiscit, nec intel-
ligi potest, quod Aureolus ait, positiuum illud non
esse quid determinatum secundum aliquam particu-
larem rationem entis, sed commune quid, & trans-
cendens ad omnia entia positua. Constat enim hoc
esse falsum. Nam loquendo de persona tota illa po-
sitiuum quid est, quod non est accidens, sed substan-
tia, & non est pars substantiæ, sed totalis substantia,
& non est tota, vt natura, sed vt substantia integra
vltimo terminata. Quod si de ipso termino in ab-
stracto loquamur, constat hanc ipsam rationem ter-
mini particularem esse, & positiuam. Tandem in
conceptu relationis personalis constat, rationem re-
lationis determinatam esse saltem ad modum ratio-
nis genericæ.

Est ergo secunda sententia, quæ concedit perso-
nam dicere rationem positiuam communem tribus
personis, tamen illam non esse realem, sed rationis ex
illo fundamento, quod ab vltimis constitutis non
potest abstrahi conceptus obiectiuus realis, & com-
munis. Pro hac sententia referri potest Durandus
1. distinct. 23. qu. 1. & dist. 25. qu. 1. in eam enim incli-
nat, licet semper sub distinctione loquatur. Tribui-
tur etiam hæc sententia Henrico quodlib. 5. qu. 6. vbi
ait *personam*, significare intentionem. Sed adeo obscu-
re loquitur, vt vix intelligas, an de prima, vel secun-
da intentione loquatur, videtur autem in hanc par-
tem inclinare. Fundamentum huius sententiæ esse
potest, quia *persona*, significat aliquem conceptum ob-
iectiuum communem, & non priuariū, vt contra
priorem sententiam probatum est, nec positiuum re-
ale, vt fundamentum Scoti probare videtur, ergo
positiuum rationis.

Verum tamen neque hæc sententia cum probabi-
litate defendi potest. Quia esse *personam* in particu-
lari, & prout in vnaquaque persona reperitur, non
est *ratio* esse.

3.
Ratione per-
sona positua
esse.

4.

5.
opinio.

6.

Gg 3
est ratio esse.

est ens rationis, sed verum, & reale, sed nomen *persona*, licet non significet distincte propriam, & particularem rationem vniuersiuique personæ, quatenus talis est, significat nihilominus confuse modum illum existendi, quem in re ipsa habet vnaqueque persona, ergo non potest adæquate, & primario significare aliquod ens rationis. Consequentia euidens est. Maior & in fide, & in Metaphysica videtur certissima. Nam esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum non est aliquid rationis, sed rei, alioqui nullum est Trinitatis mysterium. Item, humana natura non fuit assumpta ad ens rationis, cum fuit vnita personæ Verbi. Supposita etiam creatæ, prout in re sunt, per proprium modum realem, & in re ipsa absque negotiatione intellectus constituuntur. Minor denique propositio per se nota videtur, quia licet intellectus nolter confuse modo concipiat *personam*, quando hoc nomen commune imponit, nihilominus nõ concipit aliquid a se fictum, sed id, quod in re est, nec per illam vocem significat, nisi modum existendi, quem persona habet in re, licet non distincte conceptum, sed confuse tantum. Vnde non solum est verum dicere Patrem esse personam, sed esse personam realem, seu vere, & realiter, ac in re ipsa, quæ omnia vera non essent, si persona formaliter ens rationis significaret. Denique relatio diuina, vt est communis tribus relationibus personalibus, non dicit de formali aliquod ens rationis, quia licet communitas illa sit per rationem, tamen res concepta realis est: ergo idem est de *persona*, quia personalitas diuina, & relatio diuina in re sunt omnino idem, & idem conceptus obiectiuus eis respondet, licet sub diuerso modo concipiendi nostro, vt infra videbimus.

7.
p. opinio.

Tertia sententia est, nomen personæ significare quidem rationem realem positiuam in singulis personis diuinis existentem, non significare autem immediate rationem aliquam communem tribus personis etiam communitate rationis, sed immediate significare tres personas, secundum vniuersiuique incommunicabilem existentiam. Fundamentum est illud à Scoto tactum, quia terminus vltimus debet esse omnino simplex, ita vt in duobus conceptus resoluti non possit, sed tres personalitates diuinæ sunt tres vltimi termini naturæ diuinæ, ergo non potest ab eis abstrahi conceptus realis communis. Maior probatur, quia si terminus est vltimus, ergo est vltimate constituens, ergo non potest ipse alio termino constitui, alioqui iam non erit vltimus, ergo non potest resoluti in duos conceptus, alioqui vnus eorum esset terminabilis, alius esset terminus constituentis. Secundo probatur, quia alias daretur processus in infinitum, quia si tres personalitates diuinæ habent, in quo conueniant realiter, & in quo differant, etiam modus ille, in quo differunt potest in communi, & in particulari concipi, ac significari, ergo resoluti poterit in duos alios conceptus, & ita procedetur in infinitum, vel sistendum est in primo termino vltimo, & simplicissimo. Tertio, persona, vt est communis tribus diuinis erit vniuocum quid, ergo vniuersale, ergo genus, vel species, vel aliud ex quinque vniuersalibus. Quæ omnia Deo repugnant, quia in eo locum non habet compositio etiam metaphysica, & rationis, vt supponimus.

8.
Rationis personam, & vniuocam esse.

Vera nihilominus sententia est, personam diuinam vniuocè dici de tribus personis, ac proinde non significare immediate ipsas personas secundum proprias rationes earum, sed communem conceptum obiectiuum, realem, & positiuum, quoad rem conceptam, rationis vero quoad communitatem. Hæc est sententia Diui Thomæ 1. part. quæstione vigesima nona, articulo quarto, & clarius quæstione 30. articulo 4. Vbi Caietanus illam sequitur, & quæstione 27. articulo 4. ad 4. dubium, Alenf. 1. part. quæstione 26. membr. 4. art. 2. Bonauent. in 1. distincti. 25. art.

2. quæstione 1. Capreolus eadem distincti. 25. quæst. 1. art. 1. Martil. 1. quæstione 28. artic. 2. conclusionone secunda. Probatur autem, prima pars, quia *persona diuina* terminus est communis, vt est per se notum. Et non est æquiuocus, vt etiam constat, quia & distribuitur pro omnibus personis diuinis, & proprie afficitur termino numerali, vel partitiuo, vt cum dicim⁹ Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum esse plures personas, & aliam esse personam Patris, aliam Filij, & cæt. In voce autem æquiuoca non sunt istæ locutiones propriæ. Denique non solum nomen commune est, sed etiam ratio nominis, vt patebit: non ergo est æquiuocum. Præterea nec analogum est, quia simpliciter, & perfectissime dicitur de quacunq; persona & non magis dicitur de vna ratione alterius, quam è conuerso.

Respondent alii, esse vocem analogam secundum analogiam proportionalitatis, quia sicut se habet Pater ad suam proprietatem, ita Filius ad suam, & Spiritus sanctus ad suam, & hanc analogiam non postulare necessario inequalitatem inter plura significata nominis. Sed contra, nam paritatem dicam, substantiam non esse vniuocam vocem corpori, & Spiritui, sed analogam secundum proportionalitatem. Item de animali respectu plurium animalium, & sic destruitur totum fundamentum vniuocationis secundum communes rationes, & conceptus. Deinde impossibile videtur, vt vnum nomen, vna impositione, & æquè primo imponatur ad significandum plura per solam proportionalitatem, ergo impossibile est, vt vox sit analogæ respectu eorum, in quibus inuenitur ratio formalis significata per illam cum omni perfectione, proprietate, & æqualitate. Quocirca, quoties vox est analogæ secundum proportionalitatem, semper imposita est prius ad vnum membrum significandum, & inde translata est ad aliud, vel alia, propter proportionalitatem, quæ non attingit ad omnimodam proprietatem. Erè conuerso, quando ratio aliqua significata per vocem æquè primo, & cum omni proprietate conuenit multis, licet inter ea possit proportionalitas considerari, tamen non est illa ratio imponendi nomen, sed communitas aliqua, vel similitudo propria, aut conuenientia, in qua illa proportionalitas fundatur, & ideo tale nomen vniuocum est. Hoc autem totum inuenitur in nomine personæ respectu trium personarum, vt dixi, estque per se satis notum, ergo.

Atque hinc facile probatur altera pars de immediate significato illius vocis. Primo, quia tres personæ diuinæ verè, & realiter conueniunt in modo subsistendi incommunicabiliter, nam in hoc sunt similes in re ipsa, vnde potest mens nostra præscindere, & formare vnum conceptum representantem personas, non distincte, & secundum propriam, sed confuse, & secundum conuenientiam, quam inter se habent. Talis autem conceptus formalis in nostra mente existens, suum proprium, adæquatum, & immediatum obiectum habet, quia non potest intelligi actus mentis vnus, sine proportionalitate obiecto, suam vnitatem habente. Illud autem obiectum respectu illius conceptus formalis, non est aliqua persona particularis, vt perse constat, nec sunt multæ secundum proprias rationes earum, quia hoc repugnat vnitati, neque etiam secundum proportionalitatem, tum quia, vt antea dicebam, proportionalitas cum proprietate, & æqualitate in ratione significata per nomen non est proportionalitas tantum, sed est realis conuenientia, & vnitatis rationis formalis obiectiuæ, tum etiam quia ad concipiendam proportionalitatem, necesse est concipere plura significata secundum proprias rationes, in quibus distinguuntur, quia in illis intelliguntur habere proportionalitatem, quod per illum conceptum non fit. Ergo necesse est, vt obiectum illius conce-

conceptus sit vnum, vnitare rationis formalis obiectiua. Illud ergo dicendum est immediatum significatum nominis *persona diuina*, quia in eo persona diuina continentur confuse tantum, & secundum conuenientiam, quam inter se habent, & ita per illam vocem significantur. Et hoc potest confirmari, tum ex definitione personæ contractæ ad indiuiduam substantiam naturæ diuinæ, hæc enim datur de aliquo conceptu obiectiuo vero, & reali, ac communi tribus personis secundum rationem: tum ex modo significandi illius vocis, vna enim in positione intelligitur imposita ad significandum, & ratione illius in positione sub significato suo comprehendit tres personas saltem confuse: hoc autem intelligi non potest sine vnitare obiectiua in re significata per nomen, quæ vnitatis tanta est in presenti, vt ad inuocationem sufficiat, vt ostendimus.

sonæ diuinæ. Tandem relationes diuinæ conueniunt vni uoce in communi conceptu relationis subsistentis, seu increatæ, qui conceptus non est quasi denominatiuus, sed intrinsecus, & quasi quidditatiuus relationi, vt sic, ergo idem est de personalitate increata, &c.

At enim Scotus 1. distinctione 26. quæstione 1. §. 13. *Tertia opinio*, cum de relationibus diuinis fateatur, conuenire in aliquo conceptu reali, & quasi quidditatiuo relationi, vt talis est, nihilominus negat, tres proprietates personales Trinitatis, posse habere huiusmodi conuenientiam, seu conceptum communem. Imo hinc conatur ostendere, relationes diuinæ non esse ipsas proprietates personales, secundum suas proprias rationes formales, quia à relationibus potest abstrahi conceptus communis, non vero à proprietatibus personalibus, quia hoc est contra rationem vltimi constitutentis, vt in argumentis obieciamus. Item quia relatio, vt sic, dicit quidditatem quandam, quæ communicabilis est de se, hoc autem repugnat proprietati personali, de cuius ratione est, vt sit incommunicabilis.

11. *Argumentum solutio*
Supereft vt argumentis tertie sententiæ respondeamus, in quibus motiua aliarum opinionum comprehenduntur. Ad primum responderi potest, personam diuinam non dicere rationem aliquam personam abstractam à tribus personis, vt personæ sunt, sed dicere solum communem conceptum personæ, vt determinatum per habitudinem ad diuinam naturam. Ad eum modum, quo persona vltra communem rationem suppositi non addit aliquid ex parte subsistentiæ, sed ex parte naturæ addit, quod rationalis sit. Itaque iuxta hunc dicendi modum tres personalitates diuinæ solum in hoc conueniunt, quod eandem naturam diuinam terminant, quæ conuenientia non est in aliqua communi ratione abstrahibili à tribus personalitatibus diuinis, & superiori ad illas quasi quidditatiue, & intrinsece, sed solum est conuenientia in quadam habitudine rationis ad eandem naturam diuinam, seu in denominatione sumpta ab eadem natura, quam terminant. Sicut persona Angelica, vel humana non addit supra communem rationem personæ nisi determinationem ad talem naturam, seu denominationem ab illa. Vnde, persona Christi dicitur esse persona humana solum, quia terminat humanam naturam; licet in sua substantia, & entitate longe diuersa sit ab alijs personis humanis. Atque hac ratione licet personalitates diuinæ sint vltimi termini, & simplicissimi, ita, vt non possint habere conceptum communem intrinsecum, & quasi præcisum à proprijs rationibus possint habere conceptum communem secundum dictam denominationem.

Sed immerito Scotus hanc differentiam excogitauit, quæ illum in aliam sententiam induxit, nimirum, proprietates incommunicabiles, constituentes diuinæ personas absolutas esse, & non relationes ipsas, quæ est reprobata sententia, vt infra suo loco videbimus. Nihil ergo obstat, quominus paternitas, verbi gratia, sit proprietates ex se incommunicabilis, id est, incommunicabiliter subsistens, & quod nihilominus habeat realem conuenientiam, & conceptum realem communem filiationi, & processioni. Imo, licet præter relationes personales haberent diuinæ personæ proprietates absolutas, & incommunicabiles, nihilominus illæ proprietates haberent inter se realem conuenientiam in communi ratione subsistentiæ incommunicabilis. Neque enim huiusmodi conuenientia repugnat illi incommunicabilitati, nam hæc ipsa incommunicabilitas, seu modus ille sic subsistendi, qui realis ac positius est, potest ita conuenire multis proprietatibus personalibus, vt in eo habeant conuenientiam aliquam seu similitudinem. Atque ita contingit in personalitatibus creatis, quæ licet absolutæ sint, conueniunt nihilominus in communi conceptu personalitatis absolutæ. Neque etiam communitas huius conceptus repugnat incommunicabilitati personalitatis, sunt enim diuersarum rationum, & non habent inter se oppositionem. Quia non omnis communicabilitas repugnat cuiusque incommunicabilitati, sed cum proportionem, vnde secundum diuersas rationes eadem res communicabilis, & incommunicabilis esse potest. Vt essentia diuina est incommunicabilis multis naturis, tamen communicabilis multis personis, & filiatio diuina est incommunicabilis multis personis, communicatur autem suo modo multis naturis. Sic ergo personalitas relatiua in Deo, vel absoluta in creaturis dicit rationem incommunicabilem secundum rationem multis personalitatibus, & nihilominus secundum rem quælibet personalitas est incommunicabilis alteri personæ, atque ita est terminus vltimus naturæ. Vnde non repugnat conceptum obiectiuum relationis diuinæ esse communem relationibus personalibus, & nihilominus dicere rationem vltimi termini naturæ diuinæ, quia illa communitas non repugnat incommunicabilitati vltimi termini. Eo vel maxime, quod relatio non exercet rationem vltimi termini, vt manens in communi conceptu relationis, sed vt determinata ad talem speciem relationis, secundum quam incommunicabilis est multis relationibus personalibus.

Ad 1. ergo argumentum respondeo, non esse contra rationem vltimi termini, vt ab illo possit abstrahi conceptus communis multis similibus terminis.

Quia licet talis terminus ultimo constituat personam, tali genere constitutionis, (quam hypostaticam vocare possumus) nihilominus ipse potest constitui, seu determinari in ratione talis termini in alio genere, quod vocare possumus determinationem rationis inferioris ad superiorem. Sicut albedo constituit album tanquam propria, & ultima forma eius, & tamen constituitur in esse albedinis per proprias differentias; constitutione (nimirum) contractiva generice rationis ad specificam. Igitur in vniuersum loquendo, vltimum constitutum, non constituitur, neque vltimus terminus amplius terminatur; nihilominus in alio genere compositionis, seu constitutionis, aut determinationis, constitui, vel determinari potest, & ita non repugnat illi habere conceptum communem præter propriam, & particularem.

16. Alia duo argumenta communia sunt ad omnia transcendentia communia, seu quæ habent conceptum communem, & ideo in Metaphysica late tractata sunt de ipso ente, & de substantia, accidente, & similibus. Nunc ergo breuiter ad 2. negamus sequi processum in infinitum, quia relatio diuina, verbi gratia, non determinatur ad esse Paternitatis per modum, in quo non includatur ipsa communis ratio diuinæ relationis, ac substantiæ, & ita non proceditur in infinitum, quia Paternitas non constat duobus conceptibus inter se omnino distinctis, sed dicit solum simplicem conceptum relationis magis expressum, & specificum, qui per seipsum determinat communem conceptum. Et eadem ratione conceptus ille communis non est conceptus generis, vel speciei, vel alterius prædicabilis, sed ad modum transcendentis. Addit præterea D. Tho. dicta quæst. 30. articulo 4. ad 3. committimur rationem personæ diuinæ non esse vniuersale aliquod, quia personæ diuinæ habent vnum esse: vniuersale autem dicit esse commune multis secundum esse differentibus. Contra quam rationem instari potest, quia diuinæ personæ etiam distinguuntur in esse personali, seu relatiuo, quod satis esse videtur, quia vniuersale non requirit ordinem ad multa, nisi distincta secundum illud esse, in quo determinant ipsum commune. Potest nihilominus facile defendi illa ratio; quia vniuersale dicitur habitudinem ad multa, ita distincta, vt non sint, vnum simpliciter in suo absoluto, ac proprio esse.

D. Thom.

Denique addit Diuus Thomas in eadem solutione. Personam, vt de creaturis etiam dicitur, non prædicari de multis tanquam genus, vel speciem. Quod si interroges, quomodo prædicetur? Respondet in corpore articuli; prædicari tanquam indiuiduum vagum. Idemque censet de persona diuina, vt est communis ad tres diuinas personas. Contra hoc vero obiicit Aureolus, quia indiuiduum vagum non potest amplius determinari per signum particulare, quidam, vel aliquis: est enim indiuiduum vagum quidam homo, vel aliquis homo: non possumus autem vltius dicere, quidam aliquis homo, vel aliquis quidam homo, quia est ineptissima nugatio. At vero nomen, Persona, congruentissime recipit has determinationes, dicimus enim, quædam persona diuina est incarnata, quædam generat, alia generatur, ergo non prædicatur tanquam indiuiduum vagum. Respondetur tamen facile, nomen personæ non dici significare ad modum indiuidui vagi, quoad illam determinationem; nec quoad illorum terminorum complexionem, ex qua provenit, vt indiuiduum vagum iam affectum illo signo non possit vltius eodem affici; quod secus est de quocumque nomine communi indefinite sumpto; vt est nomen persona, vel suppositum, dicitur ergo persona habere communitatem indiuidui vagi quoad habitudinem ad particularia, quæ respicit, seu quoad qualitatem prædi-

Aureolus.

17. Personam nec genus, nec speciem esse.

cationis, quia sicut indiuiduum vagum sumptum est in substantijs ex modo subsistendi incommuniabiliter vague sumpto, ita etiam persona, vel suppositum: & ideo sicut indiuiduum vagum non prædicatur in quid, vel quale, sed potest dici prædicari in qualiter, seu in quomodo, ita est etiam persona.

18. Sed instabit aliquis, quia relatio diuina prædicatur in quid de tribus relationibus diuinis, non minus, quam si esset genus, neque ex hoc capite definit esse genus, sed propter transcendentiam, & simplicitatem, vt supra dixi: ergo simpliciter persona prædicatur in quid de Patre, Filio, & Spiritu sancto, quia eandem propositionem seruat respectu illorum. Respondent aliqui negando antecedens, quia relatio diuina etiam in suo vltimo conceptu includit subsistere, quia in omni relatione, & in proprio modo constitutente illam, qui dicitur ad includitur, esse in, quod esse in est esse in alio in relationibus creatis, in diuinis autem est esse in se, & subsistere, & ideo sicut subsistere non dicitur in quid de tribus personis, vel relationibus, ita nec relatio. At hæc responsio petit principium. Nam, ex eo, quod ad, vt ad est essentialiter omni relationi, concludimus dici in quid de illis; quatenus abstrahitur ad modum generis, ergo inde vltius concludi potest, quod quidquid includitur intime in conceptu ad dicitur etiam in quid de tribus subsistentijs, seu relationibus diuinis. Eo vel maxime, quod illud in inclusum intime in ad, est suo modo essentialiter illi, eo modo, quo esse quid reale pertinet ad rationem quidditatiuam omnis entis realis, ergo sicut, esse ad, pertinet ad quidquid est relationis, vt sic, ita etiam, esse in inclusum intime in ipso ad. Denique, quam proportionem seruat relatio diuina in communi ad tres relationes, eandem seruat personalitas diuina, vt sic, ad tres personalitates formaliter spectatas, vt personalitates sunt, ergo etiam in modo prædicationis seruant eandem proportionem.

Quocirca dicendum est, aliud esse loqui de eo, quod simpliciter, & absolute, & in re ipsa est de essentia suppositi, seu personæ, aliud vero est loqui tantum secundum formalitatem suppositi, vel personæ, vt talis est. Priori modo nec indiuiduum vagum, nec suppositum, vel persona prædicatur in quid de indiuidua substantia completa, & integra, vnde in creaturis licet hæc prædicatio sit in quid, Petrus est homo, nihilominus hæc præpositiones, Petrus est aliquis homo, seu Petrus est suppositum, aut persona, non sunt quidditatiuæ, quia non dicunt formaliter essentiam Petri, sed modum existendi, vel subsistendi, quod nos appellamus, Prædicari in qualiter, vel in quomodo. Et sic hæc propositiones, Pater est persona, vel est hypostasis, non sunt in quid, imo nec si dicam, est persona relatiua, non est prædicatio quidditatiua. Vnde hæc etiam propositio, Deus est Pater, præter quam quod est indirecta, non est essentialis, sed personalis. Et similiter hæc, Pater est Pater, licet sit identica, & hoc titulo videatur plura locuti, si subiectum stet formaliter, ita, vt formale prædicari cadat in formale subiecti, sic enim sunt idem etiam secundum rationem. At vero si loquamur de persona illa simpliciter, tale prædicatum formaliter sumptum non dicit essentiam eius, sed attributum personale. Ac propterea in Deo tantum est vna essentia, & personæ diuinæ, licet distinguantur personaliter, ac relatiue, non tamen essentialiter, vt in sequentibus videbimus.

CAPVT IV.

Personas non multiplicari in Deo, nisi per realem processionem.

D Vobis modis intelligi possunt plures personæ in Deo. Primo, vt vnaquæque illarum ex se sit, & imme,